velimque, quo regna, principia, leges, judicia, bella atque paces; postremò di-
vina et humana omnia penes ligam illam sunt Papisticam. Nos, nos Vandali
hostibus exteris semper invicti, Romanis etiam quondam formidabiles, satis ha-
bemus animi, nec quisquam nostrum est, qui alijs servire non recuset. Atque ego
tametsi hos crudelissimos veritatis Evangelicae hostes non impunè la-
turos caedem atque incendia existimo; tamen totidem aequo animo injurias ab
illis acceptas ferre non possum, veritus, ne olim in perniciem totius Eccle-
siae cadant. Nam et istis abjuratis Lutheranorum hostibus (quan-
tum importunitatis habent) parum est impunè malè fecisse, nisi deinde fa-
ciendi licentiam vi eripiatis. Et vobis omninò aeterna solicitudo remanebit,
quum intelligetis, aut ignominiosè cedendum esse nostrae religionis hosti-
bus, aut pro aris et focis pugnandum. Nam pacis quae spes est? Domina-
ri illi ubique volunt, nos liberi esse: facere illi injurias nobis aliisque atque
alias, nos prohibere: postremò nostrae fidei consortes igne ferroque perse-
quuntur. Potestne in tam cruentis manibus pax ulla sperari? Quare
moneo hortorque vos, regni Proceres, ut sine morâ arreptis armis in
unum coëatis, et mecum benè instructâ classe fretum trajicien-
tes in Germaniam ad auxiliandum excurratis. Adspirabit maximè
cujus causam potissimùm armis nostris suscipiemus, votis ac labori-
bus DEUS, cedet et certa pro gentis nostrae dignitate, pro avitâ
religione ac sociorum fidei salute pugnantibus victoria: discet, quod
spero, Caesar, quemlibet hostem esse timendum, nec gloriosissimi quon-
dam nominis populos facilè contemnendos esse. Ego autem quocunque ca-
dant conatus mei, quos, precor DEUM, ut ubique semperque fortunet,
aut hostibus viri more pugnans cruentam atque luctuosam victoriam
relinquam, aut bellicae gloriae plenum, calcato hoste, in regiam hanc
meam redux, referam triumphum.

DIXI

Gothofredus Rotter.
Sagan. Siles.